EPISTOLA PASTORALIS AD CLERUM ET POPULUM CIVITATIS ET…

Antonio Maria Calcagno

EPISTOLA

PASTORALIS

AD CLERUM ET POPULUM

CIVITATIS ET DIOECESIS

ADRIENSES

VENETIIS
EX TYPOGRAPHIA MOLINARIANA
MDCCCXXXV.

22

ANTONIUS M.ª CALCAGNO

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS ADRIENSIS

Canonicis et Clero, Viris Nobilibus ac Populo universo a Deo Patre et Christo Jesu ejus filio et Domino nostro, atque a Spiritu Sancto gratia, misericordia et pax.

Quinquennio nondum elapso, ex quo in patria Canonici Archipresbyteri dignitate honestatus principem Paroeciam moderandam susceperam, placuit Francisco I. Caesari Augustissimo, nuper huic mortali vitae omnium moerore erepto ad immortalitatis gloria in coelis fruendum, me in Episcopum vetustissimae istius ac amplissimae Ecclesiae Adriensis, quae ob acerbum pientissimi Praesulis sui Caroli Pii Ravasi funus vacabat, clementissime designare. Tantae rei nuncium mihi prorsus inopinanti vix pervanit, simul atque animo occurrit integritas vitae, prudentia, doctrina, constantia, vigilantia, caeteraeque virtutes, quibus eniti oporteat, qui supremo hierarchici ordinis gradu initiatus custos ovium constitutus est, Ecclesiae sponsus, sal terrae, lux Mundi (1) Pastorum Principi (2) Christo quasi rationem pro animabus sibi commissis die extrema districte redditurus. Fateor timorem et tremorem venisse super me (3), emarcuisse cor meum (4), meque viribus poene fractum ita concidisse, ut expansis manibus ad Dominum haec lamentabili gemitu dumtaxat proferre potuerim: *Quis sum ego? cur suscitasti egenum de pulvere ut sedens cum principibus Ec-*

(1) Matth. V. 13. et 14. atque aliis Scripturae locis.
(2) 1. Petr. V. 4. (3) Psalm. 54. 6. (4) Isai. 21. 4.

clesiae tuae pasceret populum tuum (1)? Verum hoc Caesaris consilium sanctae Romanae Apostolicae Sedi quam celerrime perlatum est, et ipse beatissimus Pater Gregorius XVI Pontifex maximus, legitimus Christi in terris Vicarius, illud benignissime excepit, ac in Concistorio diei 19 Decembris proxime praeteriti Deum sic velle decrevit, regiae perinde ac divinae voluntati parendum esse pronunciavit, meque isti Ecclesiae praefecit. Deus igitur ita statuerat, et ita factum est. Mens terrena ad urbis dispositionem, aut alementum virtutem, aut temporum mutationes, fluminumque vel maris cursum intelligendum impar est, quomodo autem secreta illa, et profunda judicia, quae hominum sortem attingunt, investigare poterit? *Ex ipso*, est nobis fatendum cum Apostolo (2), *et per ipsum sunt omnia ipsi gloria in saecula saeculorum*. Ipse qui infirma eligit ad opus suum, ignobilia, contemptibilia, et quae non sunt, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus (3), ipse in humilitate mea recordatus est nominis mei (4), et me neque avorum commendatione, neque meritorum praestantia, neque ullis animi ingenisse dotibus in Ecclesia fulgentem ad Episcopalis dignitatis fastigium praeordinavit, et imperscrutabili suae providentiae munere evexit. Admiremur itaque Dei misericordiam, et quia spiritalia sua dona contulit in meritorum suffragiis destitutum, gaudeamus, exultemus, et demus gloriam ei quoniam mirabilis facta est nimis, laudemque loquatur os nostrum, et ei anima nostra et spiritus, caro et lingua benedicat (5).

Hoc autem opus per quam reapse mirandum divinae misericordiae hodie jam impletum est. Eo ipso in Templo, quo tertia vitae die Deus per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti (6) me cooptavit in societatem Christi Jesu, et ab adolescentia clericalibus ministeriis me mancipavit, solemne Consecrationis munus in Episcopum per

(1) 1. Reg. 2. 8. (2) Rom. XI. 32. (3) 1 Corinth. 1. (4) Isai. 49. 1. (5) D. Leo. Mag. Ser. 1. (6) Tit. III. 5.

manuum impositionem, et chrismatis inunctionem accepi, consummatumque est dulcissimum conjugium meum spiritale cum ista Ecclesia Adriensi. Jam sacrosanctam Aram vix relinqui, meque contemplor Patrem et Pastorem vestrum, vosque filios et oves mihi concreditas. Adestis itaque, Fratres Filiique charissimi, adestis menti et animo, ita ut vos omnes et singulos ceu ipsis oculis cernere, peramanter amplecti, meoque pectore me vos quasi fovere mihi videar. Dilatatum jam est cor meum, nec angustiamini in me (1): uror charitatis flammis in vos, et vos alloqui, et viscera aperire, vestraque vota intelligere, eisque consulere cupidissime aveo. Amoris et benevolentiae vestrae singularia pignora, quae accepi vel cum primum audistis meae electionis nuntium, manifesta laetitiae signa, et praeclarissima officia, quibus me honestatis, argumenta praebent indubia spei vestrae me utiliter in vos laboraturum. Grates sint vobis quam maxime, et alacriter regimini manum admovere exopto et libentissime impendere ac superimpendi pro animabus vestris (2), totumque in rem vestram me naviter collocare profiteor. Fulgeat itaque lux illa, qua vobis occurram, vosque cernam, alloquar, et in medio vestri sim non spiritu tantum, sed et corpore. Pastorali officio fungi cupiens accipite interim per atramentum primas voces, quas ad vos, veluti primum paterni amoris signum, et debitae existimationis officium, dirigo.

Miser et infirmus homunculus *Gratia Dei*, inquam cum Apostolo, *sum idquod sum* (3), et utinam cum eodem Apostolo subdere mihi datum sit divino cooperationis dono, quod *Gratia ejus in me vacua non fuerit*. Ecclesia Adriensis est vinea Domini, quam plantavit inclitus Apollinaris beatissimi Petri principis Apostolorum discipulus, et Martyr invictissimus, aut Epophroditus fortasse ex 72 Christi Jesu discipulis, qui post Apollinarem sanctum Evangelium gentibus per Æmiliam nunciavit, ac proprio sanguine fidem testatus

(1) 2. Cor. 6. (2) 2. Cor. 12. 15. (3) 2. Cor. 15. 10.

est (1); quam rigarunt constanti ac legitima successione plures Antistites sanctitate, sapientia, doctrina, scriptis, laboribus, meritis maxime praestantes, quorum alii publico cultu inter Coelites coluntur, alii vaticana purpura clari aeternum sui desiderium reliquerunt, alii mira ita operati sunt, ut eorum memoriam ipsae temporum vicissitudines delere nequaquam potuerint. Hanc vineam electam custodire dedit mihi Dominus. Si neque qui plantat est aliquid, nec qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (2), fore confido me gratiae divinae cooperaturum, si in hac vinea plantabo et ego, si rigabo et ego expectans Dominum, ut ipse benignus, clemens et misericors incrementum tribuat. Inutiles enim servi nos sumus (3) et omnia in eo dumtaxat possumus, qui nos confortat (4), qui unus erigit elisos (5), et debiles roborat (6), infirmos accingit fortitudine (7), et humiles ponit in sublime (8), qui parvulis tribuit intellectum (9), et thesauros sapientiae et scientiae suae vel nescientibus litteras (10) in superborum ruborem et confusionem (11) aperit.

Quocirca ad vos imprimis me converto, venerabiles Fratres, qui Throno Pontificali proxime Pastori vestro adsistitis tum in principe Templo Cathedrali Adriensi, tum in insigni Ecclesia Collegiata Rhodigina. Vos appello gaudium meum, coronam meam, vos estis memorabile Presbyterium, dignum Deo ita Episcopo cooptatum, ut *chordae cithorae*(12). Honore et privilegiis supra caeteros sacerdotes eminetis, et hac de causa vosmetipsos praebeatis sicut oportet, in omnibus *exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate* (13), nec desiderare fas est superiores

(1) Baron. Annal. ad ann 56 num. 2. ac 59 2. 8. et ann. 60. num. 2. Sparon. Series Episc. Adriens. in prologo Donà diss. Ms de S. Epaphrod. (2) 1. Cor. 3. 7. (3) Luc. 17. 10.
(4) Philip. 4. 13. (5) Psalm. 144 14 et 145. 9. (6) Isai. 35. 3. (7) 1. Reg. 2. 4. (8) Job 5 11. (9) Psal. 118. 130.
(10) Isai. 29. (11) 1. Petr. 5. 5. (12) D. Ignat. Mart. Ep. ad Ephes. (13) Tit. 2. 7.

aetates, quibus abundarunt inter vos spectatissimi viri, qui non solum illustrarunt christianam societatem eruditionis lumine, sed elaruerunt etiam pietate et ob merita nonnulli ad Episcopalem Cathedram, vel quoque ad sacram purpuram evecti sunt. Ex vobis adjumentum maximum et praesidium ad meam roborandam infirmitatem mihi paratum esse polliceor. Etenim quemadmodum vos video concordes in psalmis canendis quotidie alteratim pie et devote in choro, ita scio vos concordes esse in rebus Ecclesiae agendis. Qui facit concordiam in sublimibus suis, inquit Job (1), Deus est. Quid igitur? Deus est qui in vobis regnat? Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine Christi Jesu, ibi ille est in medio eorum (2). Ubi Christus, ibi Deus, ibi tota augustissima Trinitas faciens triadem et monadem, seu unionem, et sanctum eorumdem omnium animorum et actionem. Quid mirabilius in Coelo, quid divinius, quam quod tria sint unum, et unum sint tria? Et quid mirabilius in terra quam omnes praecipui in Ecclesia in unum bonum commune tendere strenue ac perpetuo conspiciantur? Hic amor, et charitas, hic verae fraternitatis vinculum, hic pax illa coelestis, quam nunciavit Christus, et pollicitus est Apostolis suis: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (3). Sic state, Dilectissimi, sic ambulate, ne unquam in vilitatem praeclarissimi honoris vestri degeneri conversatione redire patiamini. At si quis vestrum in stulta impingit a tentationibus et seductionibus illectus (4), quod Deus omnino avertat, nil precor enixe, vos lapsum peramanter corripite in spiritu charitatis, et subvenietis Pastori vestro, cui est multa fiducia in vobis, quique sperat vos paratos et expeditos ad resistendum sibi, si videbitis eum haud recte ambulantem in veritate, memores, quod Paulus testatur, se restitisse in faciem ipsius Cephae (5), qui columna erat et fundamentum praecipuum et petra su-

(1) Job 25. 2. (2) Matth. 18. 20. (3) Joa. 14 27.
(4) Jacob 1. 14. (5) Galat 2. 11.

per quam Christus aedificaverat Ecclesiam suam (1). Heu! quam facile est me reprehensionibus vestris indigere. Circumdatus enim sum infirmitate (2), nec mirum, quod ex me error et stultitia aliquando proficiscatur.

Quae autem de humana miseria persaepe cogito, ea me rapiunt ad vos qui animarum curam geritis Divina institutione Sacerdotio initiati, Ecclesiae disciplina Pastoris secundi ordinis non modo nomen, sed et ministerium adepti estis. Quam sublime munus vobis commisit Deus, sed simul quam difficile temporibus hisce praesertim, quibus non pauci sunt illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus (3)! Pro Christo legationem fungimini (4), et ideo Dei estis adjutores in agricoltura Dei, in aedificatione Dei (5). Intuemini Magistrum Jesu, qui de se habuit: *Ego sum pastor bonus*; nimirum praestantissimus virtutibus, *et cognosco oves meas, et animam meam pono pro ovibus meis* (6). Eo duce et auspice attendite, Dilectissimi, vobis et universo gregi quem Spiritus Sanctus vos posuit regere (7). Pascite illum exemplo, verbo, oratione, sacramentis providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes, sed forma facti gregis, ex animo (8) propter immarcescibilem mercedem, quam a Christo confertam et copiosam nimis accepturi estis (9). Lucrum animarum agitis, nullum praemium idcirco vitae hujus expectandum, sed dumtaxat in Coelis, ubi Christus est, qui tulit Crucem ut Coelum nequaquam vero saeculi divitias et voluptates nobis compararet. Ita fuit. Verum solatium est mihi dulcissimum reminisci in Collegio Apostolorum fuisse, qui Christum prodidit, qui illum negavit, qui de ipsa ejus resurrectione dubitavit, et neminem inter vos esse, qui laborum magnitudine fractus, aut difficultatibus permotus, aut opprobriis aut in-

(1) Matth. 16. 18. (2) Hebr. 5. 2. (3) Jud. v. 18. (4) 2. Corinth. 5. 20. (5) 1. Corinth. 3. 9. (6) Joh. 10. 14. (7) Act. 20. 28. (8) 1. Petr. 5. 2. (9) Matth. 5. 12.

juriis devictus ab opere cesset, vel zeli sui prudentis aliquid remittat. Video vos ad instar optimae matris, quae et novit filios suos, et in medio eorum manet, nec quiescit super eos diu noctuque, ac oculos apertos habet et singulorum motus observat, verba, gesta, necessitates, ut cunctis provideat, ac singulos foveat, emendet, corrigat, roboret, perficiat. Nihilominus si inimicus superseminat zizanium in agris vestris (1), nec eradicare vobis fuit, si cancer virus impietatis infensissimum pervasit, nec propulsare pro viribus potuistis, gaudeo vos nec desides fuisse in hac parte officii vestri meditantes, ne animo delinquere patiamini, nec Christum omnes perduxisse ad Patrem suum adeo, ut moerore proferre potuerit: *Si in Tyro et Sydone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis olim in cilicio et cinare sedentes, poeniterent* (2). Plorate, Charissimi, inter vestibulum et Altare, clamate coram Deo, vigilate, pugnate, expectantes divinae gratiae auxilium, quod solum aufert corda lapidea et cor novum et spiritum novum hominibus tribuit (3), charitatis viscera iterum atque iterum aperientes, ne opus vestrum umquam infirmetur, et videatur charitas ipsa vos inflammare, ut describitur a D. Bernardo, nimirum quod *cum arguit mitis est, cum blanditur simplex est, nec solet saevire, sine dolo mulcere, patienter irasci, humiliter indignari* (4).

Haec porro ad vos facile referri possunt Sacerdotes Domini, qui Ecclesiae Rectoribus cooperantes, in animarum curam, vel in divini verbi praeconium, aut in puerorum institutionem, aut in quodvis aliud officium incumbitis. Vos quocumque munere fungimini Ministri Jesu estis, qui vos sponte vestra obtulistis, et ei perpetuo famulari solemniter spopondistis. Non necessitas emolumentorum ad Clerum, sed votum vivendi cum Christo viam vobis sternit. Frustra quidem panis non perfringitis, nec vestrum cibum facitis, quod simul non

(1) Matth. 13. 25. (2) Matth. 11. 21. (3) Ezech. 11. 19.
(4) Epist. 1.

moneat vos ex Ecclesiae redditibus seu ex fidelium eleemosynis, et poenitentium sacrificiis, ac defunctorum legatis vivere, id est sumptibus ipsius Christi, proindeque omnia quae Christi sunt in vobismetipsis Christum requirere. Si vero quotidie ad mensam Christi vivificam acceditis, et saturamini divina ejus carne et sanguine, si quotidie Deum in nomine Christi precari tenetis, si muniis Christi quotidie aut persaepe fungi vobis contingit, fieri ne potest vos nec vivere spiritu Christi nec vitam ejus in vobis partare? Absit. Nec quidem suspicandum mihi est nonnullos inter vos immiscere temporalibus negotiis, interesse nundinis, quaerere saeculi lucrum. Audio enim vos etiam abhorrere a conversationibus, quas Mundus insipiens diligit, fugere ludorum frequentiam, abstinere a spectaculis choreis saltationibus, in quibus non vivit Christus, quem sectari nequaquam erubescitis. Scio praeterea horrescere vos prophanas vestes, prout dedecet in Ministris Christi adeo ut nemo vestrum videatur Sacerdos comparere in Ecclesia, saecularis in Foro, nec subinde habitum proprium deponere ut domos petere, et theatra adire sibi liceat, quasi nullum vulnus inferat sacro Sacerdotis characteri, quod incongruum censetur Clericorum vestibus ingredi seque et vestes irrisioni exponere. Pergite, Dilectissimi, qua semper consuevistis sollicitudine, dilectione, studio vivendi cum Christo: cavete ne umquam a recto tramite declinetis: satagite vos extimari Ministros Christi non spiritu et mente tantum sed et moribus, voce et actionibus, illud habentes in animo Ezechielis: *Laqueus ruinae populi mei Sacerdotes mali* (1), unde meditari perpetuo oportet monitum Pauli suscitandi frequenter gratiam, *quae data est nobis cum impositione manuum presbyterii* (2).

Benedictus itaque Deus et pater Domini nostri Iesu Christi, qui adeo me consolatur in vobis, ut maximum oboriatur mihi ex vestris laboribus et sollicitudinibus incitamentum ad pondus meum non solum patienter, sed et alacriter

(1) Ezech. 44. (2) 1. Tim 4. 14.

ferendum. Quam recreat Praesulem, quam auget ei animum omnes intueri in aedificationem Corporis Christi impigre vitam ducere morum probitate commendatos! Dolendum est valde de imminuto Sacerdotum numero cum messis quidem multa sit operarii autem perpauci (1); verum potissime affulget spes ab adolescentibus illis, qui in Seminario Rhodigii optimis sub Rectoribus et Magistris instituuntur. O germina laetissima, plantatiunes novellae feliciter surgentes secus decursus aquarum, quae iucurvescentibus ramis ubertate pomorum, fructum suum Ecclesiae, patriae societatique in tempore dabunt (2)! Vos nuper in sorte Domini vocati laetitia et pupille oculi mei crescite in spem et utilitatem, efflorescite pietate, disciplina, litteris et sanctorum praecipue doctrina in animarum praesidium. Etenim repellendi sunt ne Sacerdotio fungantur, qui scientiam repellunt (3), id est veritatem et doctrinam, nec simul proficiunt vel leviter tantum student ideoque nec quaerunt scientiam, quam eberitas informat, nec ad instar pictoris qui depictas imagines quotidie perficit, et proprie vita non corrigunt, et perfectionis gradum negligunt. Quid refert Clericos doctrinis variis et peregrinis inflari, si theologicas disciplinas ignorant, si non emineut pietate, et excellentiam Crucis Christi depravatis moribus blasphemant? Absit id a vobis, dilectissimi Filii. Laetabor intueri vos singulos sic de sua vocatione fateri. *Domini est assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri* (4). Nullum erit mihi majus solatium, quam ad vos me conferre, et felices progressus vestros praesentem agnoscere. Omnino curabo ut ingenium non modo, sed et animum experiar et sciam quantum in me erit an placeatis Deo, ne de vestra promotione ad sacros Ordines conqueri mihi contingat: *multiplicasti gentem, sed non magnificasti laetitiam* (5), unde Concilium Lateranense IV decrevit: *Satius esse paucos bonos, quam multos malos habere ministros* (6).

(1) Luc. 10. 2. (2) Psal. 1. 3. (3) Oseae 4. 6.
(4) Psalm. 88. 19. (5) Isai. 9. 3. (6) Cap. 17.

Meditamini igitur, filioli mei, vocationem vestram, orationi sine intermissione instate, pios praescrim sacrosque libros, diuturna et nocturna manu versate, obedite praepositis vestris, honorate qui in vobis tam egregie laborant, imitamini quà Christum sequuntur, quo vivere, et pro quo pati atque mori lucrum est (1) a vobis maxime exoptandum.

At si ista Dioecesis caret Religiosis Familiis, quas plurimum aestimo, et jucunda tantum erigor spe Cappuccinorum familiam isthuc proxime remeare, quam ex mortificatione Christi, et asperrimo suae vitae genere, quod circumfert, non sine animarum utilitate enixis desideriis flagito; accipite meas exhortationes Virgines sanctae, quae in nidulo vestro turbatae, disruptis septis horti vestri conclusi ad parentes confugere coactae fuistis, vel ad alias saecularium honestas domos, quibus purae et integerrimae hactenus permansistis. Si vobis non licet modo ad claustra redire, quibus veluti columbae ad Sponsum facilis erat vobis accessus et cum eo introire ad nuptias; fideles estote nihilominus Christo, ut a vobis exemplum sumant, qui Mundo serviunt. Effundite continentia, modestia, caeterisque virtutibus unguentorum ejus odorem, ut videamini in aperta acie constitutae veluti in tuto positae vulnera spiritus nequam ita declinare, ut eum lampadibus vestris oleo divinae dilectionis instructae obviam Sponso ipsimet quotiescumque advenerit, exire alacriter possitis.

Verum non hic absolvitur mea allocutio. Moyses Dei laudem decantans non Sacerdotes tantum, sed et plebem audire praecepit. *Attende coelum quae loquor* (2), dixit Sacerdotibus, ut exposuit D. Gregorius Magnus (3), et subjiciens *audiat terra verba oris mei*, senioribus et populo locutus est. Hactenus igitur Coelo seu personis Deo sacris istius Ecclesiae Adriensis verba direxi, modo vobis aperio cor meum, quibus constat plebs dilectissima mihi commissa. Audite ergo quotquot estis, et cujuscumque ordinis, et conditionis, audite ver-

(1) Philip. 1. 21. (2) Deut 32. 1. (3) Lib. 1. in cap. 2. Job num 31.

ba Pastoris vestri, accipite prima dilectionis suae pignora, quibus munus suum auspicatur. In vos primum, qua decet reverentia, oculos mentemque defigo, amplissimi Viri, quibus regio nomine commissa est Reipublicae administrandae facultas, et opem mihi vestram imploro quotiescumque contigerit, et mecum vos deprecor in subditorum bonum strenue, ut assuescitis, laborare, ne umquam pigeat. Omnis potestas a Deo (1) sive Ecclesiae commissa sive Reipublicae in communem utilitatem tendit. Sacerdotium et Imperium ita inter se conjunguntur, ut illud spiritalem, hoc temporalem felicitatem hominum quaerat, qui cum constent singuli anima et corpore nequeunt in subjiciendo dividi, et proinde utraque potestas mirum in modum sese mutuo adjuvari oportet, et altera alteri opem ferre. Servemus itaque, servemus sollicite unitatem in vinculo pacis (2), nitamur impigre ut Ecclesia et societas publica bonum unaquaeque finem sortiantur. *Audiat terra verba oris mei.* Nobiles, qui generis aut privilegii splendore fulgetis, hortor nobilitatem Christi quam humanam magis magisque honorare. Morum probitas anteferenda est avorum claritati, cum generari et nasci ex illustri progenie fortuitum esse omnino censeatur. Quia autem nemo est, qui Deum sui auctorem non spectet, qua nobilitate unusquisque gaudet; ideo praeditus probata virtute nobilis existimatur ubique, ignobilis vero, qui sui nativitatem vitiis commaculat (3). Id, Filii charissimi, sentite in vobis, quod et in Christo Jesu,qui ex Matre clara Davidica stirpe procreata nasci elegit, sed qui potius abjecta erat et humilis ac virtutibus praeclarissima, ut nos doceret hoc unum interesse coelestia sectari, et terrena parvipendere: *Audiat terra verba oris mei.* Divites, nolite cor apponere divitiis (4), quibus abundatis, imo veras divitias amate, quas nec aerugo nec tinea demolitur, nec fures furantur et thesauros thesaurizate in coelis (5). Dispensatores estis bonorum, quae vobis supersunt, quaeque distribuenda sunt

(1) Rom. 13. 1. (2) Ephes 4. 8. (3) Philipp. 2. 5.
(4) Psalm. 61. 11. (5) Matth. 6. 20.

egenis. Scriptum est : ***Redemptio viri divitiae suae*** (1). Suscipite ergo benevole fratres vestros (2), qui subsidiis indigent; sublevate eorum inopiam et benigne effundite in illos viscera misericordiae. Pauperes, in humilitate vestre curate omnino, ut opes coelestes congeratis; afflicti, in patientia supportate hujus vitae, quae veluti umbra praeterit (3), erumnas, vigilias et labores hac spe recreati, quod Deus *dat escam esurientibus* (4) et *scit Pater vester coelestis, quia his omnibus indigetis* (5). Christus in gloria Patris sui, dominus rerum omnium, pauper factus est, et pauperis personam substulit. Mercatores, animas vestras possidete in integritate et justitia: heri, curam agite eorum, qui vobis inserviunt: patres, educate filios vestros in disciplina et correctione Domini (6) : filii, obedite parentibus : adolescentes, reverentia, qua decet prosequimini seniores (7) : seniores, indulgete, ubi fas est, adolescentibus : conjuges, diligite invicem in Christo, et in Ecclesia (8) : *Audiat terra verba oris mei.* Vos quoque mulieres hortor in Domino, ut in omnibus pudicitiam praeferentes ornate vos verecundia et sobrietate, promittentes pietatem per bona opera (9). Nemo vestrum velut Hevae haeres infelix fraudolentum fructum hominibus porrigat. Quae nupta est placeat viro suo secundum Deum; quae virgo cogitet quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu (10): *Audiat terra verba oris mei.* Universi denique cogitent ex vobis cunctis unum corpus conflari, cujus Pater Deus est, qui per charitatem Jesu nos fecit, ut filii ejus nominemur et simus (11), qui sua providentia nos regit et sua dona juxta aeternae cujusque vocationis mysterium suaviter fortiterque disponit (12), qui unicuique praecipit vivendi viam et rationem, quae ad aeternam felicitatem assequendam confert. Qui regit itaque regat, qui inservit subditus sit. *Reddite omnibus debi-*

(1) Prov. 13. 8. (2) Jacob 2. (3) Eccl. 7. 1.
(4) Psalm. 145. 7. (5) Matth. 6. 52. (6) Ephes. 6. 4.
(7) 2. Petr. 5. 5. (8) Ephes. 5. 32. (9) 1. Timoth. 2. 9.
(10) 1. Corinth. 7. (11) 1. Joh. 3a1. (12) Sap. 8. 1.

tum, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem (1). *Implete,* obsecro, *gaudium meum, ut idem sapiatis eamdem charitatem habentes, unanimes idipsum sentientes* (2), *et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia* (3).

Hoc unum, Fratres et Filii dilectissimi, vos rogo ut frequenter oretis. Effundite corda vestra coram Deo et quam diutissimam incolumitatem et pacem exorate tum Pont. Max. Gregorio XVI cujus charitas ad orbis fines extenditur, etsicut Petri locum et primatum obtinet, ita et in eo omnes personam Petri et potestatem ubicumque revereri gaudeant; tum etiam Augustissimo Imperatori Ferdinando Regi Nostro, qui parentis sui semper Augusti sequens vestigia non aliud prospicit, quam cum Imperii dignitate et populorum quietem, et Religionis securitatem; deinde et jucundissimo Principi et Proregi Nostro Rainerio, ut laetus aspiciat suae familiae prosperitatem et hoc regnum pio Religionis cultu patrocinari perseveret; praeterea omnibus Ecclesiae Status et Militiae amplissimis Viris, ut eorum opera, consilio et virtute decus commune ac felicitas servari augerique possit, nosque quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et charitate (4). Sed et enixe quaeso memores mei estote in obsecrationibus vestris, qui infirmus cum sim tantum opus aggredior hac spe recreatus, quod Dominus mihi tribuat sedium suarum assistricem sapientiam (5), ut quae agenda sunt prospiciam, et quae prospexero impigre et fortiter peragam, numquam defatigatus laboribus, neque angustiis ac calamitatibus detentus.

Tuam igitur gratiam Deus pater misericordiarum votis omnibus exposco, et quotidie implorabo. Adsit mihi propitia mundi spes, beatissima Virgo, quam a teneris unguiculis Matrem meam et Dominam semper appellavi, ac septeno dolore transfixam praecipue colui, atque veneror. Adsint bea-

(1) Rom. 13. 2. (2) Philip. 2. 2. (3) 1. Cor. 1. 10.
(4) 1. Timoth. 2. 2. (5) Sap. 9. 4.

tissimi Petrus et Paulus Apostolorum principes, quorum glorioso titulo exultat mea Cathedralis Ecclesia, necnon inclitus Martyr et Pontifex Bellinus patronus, et universae Dioecesis tutela, atque Coelites omnes praesertim Pontifices qui Cathedram Adriensem illustrarunt et quemadmodum ad instar Oniae orant pro plebe, quam adamarunt in terris, ita et preces effundant pro me indigno eorum successore, ne tantis tamque gravibus officiis obeundis deficiam. Haec sunt praesidia, quibus innitor, quibusque mei spiritualis regiminis importuno, veluti scopuloso mari tempestatibus ventisque crebro conturbato (1) me fidenter committo. Utinam ego sim bonus pastor, et vos bonas esse oves laetissime Deo perpetuo servientes perseveretis. Ego semper ero gregis mei felicissimus servus, vos libenter obtemperabitis mihi et collatis vocibus gloriam et honorem nullis limitibus circumscriptum dabimus Deo, atque ad optatissimam coelestis patriae felicitatem perveniemus

Haec sunt mea vota, haec prima animi mei testimonia, quae vos benevole excipere flagito. Deus interim deprecor, ut unanimes vos custodiat, gubernet et regat, et benedictionis ejus plenitudo, quam vobis peramantissime impertior, simul cum gratia et pace Domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis. Amen.

(1) D. Chrisost. de Sacerd. lib. III.

Datum Clodiae ex Templo Cathedrali ipso meae Consecrationis die pridie Kalendas Junias Anni 1835.

ANTONIUS MARIA
EPISCOPUS ADRIENSIS.